



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Indifferentia & Obedientia præclara.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

subitarios, ac maioris momenti vsus proferre tu-
to, & libere posset. Egitergò cum apud Præposi-
tum Euerardum, vt senescenti iam militi bonam
ab eo præliorum genere missionem daret: tum
apud ipsum Canisium, vt peteret. Qui cum rem ^{Indifferens,}
eo temperamento significasset, vt nec Prouincia- ^{Obedientia,}
^{præclara.}
lis negligere, nec Generalis præuertere, & impedi-
re nutus videretur, iussus ab Euerardo certius ex-
planare, quid sui animi, ac sententiæ esset, in hæc
verba rescripsit. Quoniam Pio Quinto, & Grego-
rio XIII. Pontifici Maximo ita visum erat, vt con-
tra Hæreticos scribebat, Dei gratia, & obedientia
duce perfecisse, quæ ad Præcursorum, & Matrem
Dei, Dominiq; nostri aduersus Hæreticos vindi-
candam pertinent. Interim animum sibi, ac pro-
pensionem auxisse Christū pugnandi contra tot
bestias, cùm videret Hæreticorum fœdos errores
in illustrissimas Euangelij personas incurrere, &
plurimis passim obesse, à paucis autem satis ob-
seruari, & ne attingi quidem; cum tamen magni
referat Sectariorum insignem impietatem cù ipso
Euangelij luce pugnantem magis, ac magis dete-
gi, & refutari. Quid autem imbecillis ipse, & exi-
guus in eo profecerit argumento lectorum iudi-

o 3 cij



cij esse. Aduersarios certè tot modis hactenus im-
petitos suo silentio satis ostendere se non habere,
quod respondeant. Proinde cum Pontificis Ma-
ximi mādato consentaneum, & Præpositi ipsius
voluntati gratum esse duceret, vt coeptum scri-
bendi cursum prosequeretur, minimè abhorren-
tem ab eo animum nuper significasse, & Præpo-
sitū sibi ipsum dedisse, vt Ingolstadium peteret,
velut iis studiis aptiorem sedem. At ex altera parte
cum Prouincialis non modò adeundi Ingolsta-
dij consilium, sed & vniuersum scribendi institu-
tum omitti posse iudicet, ita se cogitare cœplisse.
Quoniam Præpositi tui iudicium, & volūtas pro
lege spectari, ac suscipi debet, scribendi curam o-
mnem abiice, & ad alia professionis tuæ te totum
compone. Cum Pontifice Maximo res facile trā-
figetur, vt sinat in hac ætate quiescere Canisium:
præsertim cum præter P. Turrianum contra Hæ-
reticos strenuè laborantem, plures alij scriptores
longe doctiores facile inueniri possint. Itaque li-
benter, inquit, in Patris nostri, & aliorum senten-
tia conquiescam, vt deinceps reliquam ætatem
in religiosa simplicitate, & simplici obedientia
tranquille consumam, ybiunque demum me
viuere,

viuere, & quicquid vel agere, vel sustinere voluerint superiores: horum iudicio magis, quam meis, vel desideriis, vel propensionibus credam. Certe dum ita sentiet Prouincialis, ad scribendum redire non cupio, & fortasse bona conscientia non debedo: vt autem in Prouinciam aliam quacunque de causa transferar, nec petui hactenus, nec petam vnquam, quod perfectam obedientiæ rationem nolim à me vlo pacto violari, aut superioribus esse molestus in hac parte. Domino fortasse visum est me iam natum annos 56. monere, vt colligam, quod aiunt, sarcinas, & ex Martha fiam Magdalena, meaq; disponā domui priusquam ex hoc sit hospitio emigrandum. Quicquid autem Paternitas Tua de tota causa decreuerit, id oraculi loco accipiam, eiusq; iudicio me ex animo paritum promitto, Dei gratia opitulante.

His literis acceptis Euerardus existimauit è re magis publica esse, vt omnis ei solicitudo Pontificij mandati demeretur. Adit ergo Gregorium, & per occasionem, cum ei volumen de B. Virgine offerret, in iecto sermone de valetudine, deq; ætate Canisij, iamque missione bona dignum videri:

Pon-

Liberatur scribendi manuere.